





~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-73. ———  
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.





75

ΘEOC! ΘEOC!

CONTROVERSIARUM  
SELECTARUM

Ex

PHILOSOPHIARATIONALI  
SYLLOGE ALTERA

QVAM

ad ventilandum proponit

PRÆSIDE

M. VALENTINO GREISSING,

Ampl. Fac. Phil. Adjuncto

RESPONDENS

JOHANNES GEORGIUS HORNIGIUS,

Dresdentis Misnicus,

&

Alumnus Electoralis,

Ad diem Apr. MDC LXXIX.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOH. BORCKARDI Acad. Typogr. Excudebat SIMON LIEBERHIRT.





CONTRORVERSARUM  
SELECTARUM

PHILOSOPHICALIUM  
SYLLOGARUM

ad ventilandum proponit

P. K. S. I. D. R.

M. VALLENTINO GRESSING

Ampl. Fac. Phil. Adjuncto

JOHANNES GEORGIIUS HORNIGIUS

Dreaburg. Medicus

&

Abbas. Hildesheim.

Ab Anno 1719 M. DC. LXXIX

In hunc modum

WITTEB. C.

Typogr. P. K. S. I. D. R. Typogr. K. S. I. D. R.







## CONTROVERSIA I.

*An Nomen & Subjectum, item Verbum &  
Prædicatum idem sint?*

### Status Controv.

(1.)

**N**omen definitur Aristoteli lib. 1. de interpretatione Cap. 2. quod sit vox significans ex impositione absque tempore, cujus nulla pars significat separatim, & quæ cum verbo EST, ERAT, vel ERIT, significat verum aut falsum. Singulas voces explicatas vide apud Bechm. Log. p. 214. seqq.

(2.) Verbum eidem Aristoteli lib. de Interpr. C. 3. est vox significans ex impositione adsignificans tempus, cujus nulla pars significat separatim, & est semper nota eorum, quæ de altero dicuntur. Iterum singula explicata vide apud Bechm. Log. p. 210. seqq.

(3.) D. I. Nomen *Rectum & Obliquum*. Illud est Nominativi Casus in Grammatica, ut homo, lapis, &c. Hoc cæterorum Casuum, Quar. de illo.

(4.) Dist. inter Verbum *Rectum & Obliquum*. Illud est quod adsignificat tempus præsens in modo Indicativo, ut Currit, Amat, &c. Hoc est, vel ex parte temporis tantum, ut Cucurrit, Curret, vel ex parte modi tantum, ut Curre, Currerem: vel ex parte utriusq; simul, ut Cucurrissem, Cucurrero.

(5.) Unde facile relinquitur, non idem esse Nomen *Logicum*, & *Grammaticum*. Excedunt enim se mutuo. Nam datur Nomen Grammaticum, quod non est Logicum, ut v.g. 1. *Casus Obliqui*, hominis, homini, &c. 2. Voces Syncategorematicæ, ut Omnis, Nullus, &c. Quamvis etiam detur Nomen, quod simul sit Logicum & Grammaticum; ut homo, Equus.

A 2

(6.) Simile



(6.) Similiter non idem est verbum *Grammaticum* cum *Logico*. Nam datur Verbum Grammaticum (quod Obliquum supra diximus) interdum, quod non est Logicum. Res non eget exemplis.

(7.) Denique observes, *Subiectum*, nobis esse id, de quo aliquid enunciatur: uti *Prædicatum* id, quod de aliquo enunciatur. e. g. in hac Enunciatione: *Homo est animal*, *Homo* est Subiectum: *Animal* prædicatum: quamvis nonnunquam prædicatum solum ponatur, subiecto subintellecto, ut Tonat, i. e. cœlum tonat.

## CONCLUSIO.

*Nomen & Subiectum, item Verbum & Prædicatum non sunt idem, ideoq; non sunt confundenda.*

### *Propugnatores.*

Scherzerus in Phil. in Cer. p. 147. Hundeshagen in Qq. Logg. p. 2. p. 13. Bechm. Log. p. 202. seqq. Rudrauff. Log. p. 99. seq. it. in Log. Err. p. 42. Sthal. Qlq. Log. Q. 49. it. in Log. 121. seqq. Scheubl. Log. p. 398. Ifendoorn in Cursu Log. p. 281.

### *Oppugnatores.*

Ex plurimis unum notamus, nempe Matth. Flacium Lib. 4. Log. Cap. 2. qui à Sthal. Q. 2. corrigitur.

### *Confirmatio.*

*Prob.* Quia Nomen & Verbum sunt voces simplices: Subiectum autem & Prædicatum possunt esse etiam complexæ & plures voces. E.

Consequentia Maj. patet exterminis. Antecedes quæ prius probatur ex Obs. 1. & 2. ubi diximus, nullam partem sive Nominis sive Verbi significare separatim. Unde facile relinquitur Nomen & Verbum non posse esse aliam vocem, nisi simplicem. Quæ post prob. hoc Exemplo: *Omne quod*



*quod currit aut vigilat, est animal.* Ubi Subjectum non est Nomen;  
sed duplex Verbum potius. Vid. Hundeshagen l. c.

### *Refutatio.*

*Excipit Flacius ad probat.* quod Subjectum in allato Exemplo  
non sit duplex Verbum, sed Nomen potius, cum resolvi possit in Par-  
ticipium, h. m. *Omne currens aut vigilans est animal;* At vero h. l. æ-  
quipollere dicit Participia Nominibus.

Resp. Non quærimus in præsentibus, de *quod currit aut vigilat*, quatenus  
possunt in Participia vel Nomina transmutari; Sed quatenus spe-  
ctantur in præsentibus statu; ita enim esse Verba *αὐτοψία* docet. Conf.  
Obs. 1. & 2.

## CONTROVERSIA II.

*Unde Judicium infallibile de Subjecto & Præ-  
dicato in Enunciatione sit petendum?*

### *Status Controversiæ.*

(1.) Necessariam esse Subjecti & prædicati investigationem,  
constat facile vel inde etiam, quod interdum dentur Syllogismi vitio-  
si, ad quos respondere nullo modo poteris, nisi advertas, transpositos  
esse terminos; e. g. hic Syllogismus: *O. id est durum, quod est ferrum;  
Lapis est durus; E. Lapis est ferrum;* concludit in Secunda Fig. ex me-  
ris affirmativis; cum tamen videatur concludere in Prima Fig.

(2.) Quid Subjectum sit, quidve Prædicatum, id pete ex Con-  
trov. præced. Obs. ult. Id saltem hic observes quæ definitionem prædi-  
cati, perinde esse, sive enunciatur affirmative, sive negative.

## CONCLUSIO I.

*Subjectum & Prædicatum non sunt ex situ esti-  
manda.*

### *Propugnatores.*

Scheubl. Log. de Propos. Cap. 1. p. m. 397. quamvis idem etiam  
oppugnare videatur p. c. A. n. 20. Scherzerus Phil. in Cer. p. 147. Bechm.



Log. p. 225. Nold. Log. Recogn. p. 147. Hundeshagen Qq. Logg. P. 2. p. 27. seqq. Sthal. Inst. Log. Lib. 3. C. 3. p. 131. seq. Rudr. Log. Err. p. 42. seq. item Log. p. 128. seqq. Saur. Log. p. 224. Strateman, Log. p. 539. Qvæst. 6.

### *Oppugnatores.*

Sunt ii, qui existimant *Subjectum* esse id in Enunciatione, quod situ s. ordine aut pronunciatione præcedit: *Prædicatum* quod dicto modo sequitur; e. g. in hac Enunciatione: *Homo est animal*, priorem partem dicunt absolvere Subjectum, posteriorem Prædicatum, Verum id tametsi fateamur, frequenter evenire, non tamen semper, ut infra ostendemus. Item Ramistæ fere omnes, statuens Subjectum esse Antecedens, Prædicatum Consequens, à quod errore parum abit Wisvius p. 237. & 238. item Galilæus P. 3. Probl Log. Qvæst. 16. dum Antecedens facit Genus Subjecti, & Consequens Genus Prædicati.

### *Confirmatio.*

*Prob. (1)*. Si sæpe id, quod ordine antecedit, est prædicatum, & contra, quod sequitur, Subjectum, sequitur, Subjectum & Prædicatum malè æstimari ex situ terminorum. Sed prius est. E.

Consequentia Majoris constat ex terminis. Anteced. prob. exemplis: ut Joh. I. 1. *ὁ θεὸς ἦν ὁ λόγος*, Deus erat Verbum: it. O. id est animal, quod est homo: Autor omnis boni est Deus. Conf. Obj. 1.

(2) Si Subjectum interdum prorsus desideratur, sequitur Subjectum & Prædicatum malè æstimari ex situ terminorum. Sed prius est; E.

*Maj. prob.* Nam non Entis nullæ sunt affectiones. *Min. prob.* e. g. Tonat, Pluit, Ningit &c. Ubique Subjectum desideratur, Conf. Controv. præced. Obj. ult.

### *Refutatio.*

*Obj.* Quodc. subjicitur, id prius ponendum, quàm id, quod prædicatur. At Subjectum subjicitur, E. & per Conseq. ex situ terminorum æstimanda sunt Subjectum & Prædicatum.

*Maj. prob. ex vi vocis Subjicere.*

Resp.



Resp. Dist. inter prioritatem *loci & sensus*. Si sermo de *pr.* negatur Major per Exempla adducta in Confirmat. Si sermo est de poster. concedimus totum argumentum, sed ita nil contra nos obtines.

## CONCLUSIO II.

*Subjectum non est estimandum ex Articulo  
Græcorum:*

### *Propugnatores*

Scheubl. Log. de Propos. Cap. 1. Tit. 4. Q. 1. p. 797. Saur. Log. p. 241. seq. Glafs. Philol. S. lib. 3. Tract. 2. de pronom. Can. 4. p. m. 507 seqq. Bellarminus & Sandæus, citati à Glassio l. d. Spengler. Exerc. Logg. p. 345. Nold. Log. p. 148. Strateman. Log. p. 549. &c.

### *Oppugnatores:*

Grammatici nonnulli, qui hanc posuere Regulam: *Articulus Subjectum Propositionis in Oratione alias ambigua monstrat.* Cui Regulæ multum tribuerunt Didymus Alexandrinus, Ribera in Comment. in Ebr. Cap. I. & Sanctius in Zach. Cap. III. item Joh. Lang. & alii è recentioribus.

### *Confirmatio:*

*Prob. (1)* Quia sæpe Articulus Prædicato apud Græcos apponitur, E. partes Enunciationis non sunt estimandæ ex Artic. Min. prob. exemplis. Sic Matth. v. 13. *Vos estis τὸ ἄλας τῆς γῆς Sal terræ & vers. 14. Vos estis τὸ φῶς τῶ κόσμου lux mundi.* Joh. X. 7. *Ego sum ἡ θύρα τῶν προβάτων ostium ovium.*

*Prob. (2)* Quia sæpe fit, quod utraque pars Enunciationis (Subjectum nempe & Prædicatum) Articulum præpositum habeat, E. non possunt estimari ex Articulo Græcorum, *Min. prob.* 2 Cor. III. 17. *ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμα ἐστίν, Dominus autem, Spiritus est.* Conf. Cap. IV. 6. &c.

*Refu.*



## Refutatio.

*Obj. Langus*, dicens, hîc: τὸ τοῦ σώματος Luc. XXII. 19.  
*Hoc est corpus meum*, Subjectum esse τὸ σώμα, ut sit sensus, *ipsum corpus est panis*, nempe *Spiritualis*.

Resp. Nulla nos cogit necessitas, cur transponamus terminos. Deinde parum inter est, siue dicas: *Hoc est corpus meum*, siue dicas: *Corpus meum est hoc*. Denique posito transpositionem illam h. l. esse convenientissimam: manet tamen nostrum assertum firmum, sc. dari Exempla non pauca, in quibus contra se res habet, uti id supra abunde ostensum.

## CONCLUSIO III.

*Subjectum & Prædicatum non sunt judicanda  
ex ordine rerum.*

### *Propugnatores.*

Saur. Log. p. 236. Rudr. Log. p. 129. it. Log. Err. p. 46. & alii.

### *Oppugnatores.*

Sunt, qui existimant Subjectum illud esse, quod est minus Univerfale, & Prædicatum, quod est magis univèrsale, vel æquale saltem Subjecto; ut e. g. hîc: *Homo est animal*: it. *Homo est rationale animal*. Nominatim oppugnat Scheubl. Log. de Propof. C. I. p. m. 397. A. Damascenus loco à Scheubl. p. d. citato.

### *Confirmatio.*

*Prob.* Quia dantur Enunciationes, in quibus Subjectum est magis univèrsale, & contra prædicatum minus univèrsale, E. Subjectum & Prædicatum judicari non possunt ex ordine rerum.

Min. prob. e. g. *Homo est doctus, Medicus, Consul, &c.*

Refu.



### *Refutatio.*

*Obj.* Si prædicatum est minus universale, prodit oratio contra naturam, v. g. *Animal est homo, Ens est corpus, &c.*

*Respons.* vide apud Rudr. l. c.

### CONCLUSIO IV.

*Neque judicanda sunt ex constructione Grammatica.*

#### *Propugnatores.*

Ex multis sufficiat adduxisse Saurium Log. p. 236.

#### *Oppugnatores.*

Communis multorum est error, observante Saurio l. c.

#### *Confirmatio.*

*Prob.* Si dantur Enunciationes, in quibus Subjectum non est expresse positum, sed saltem subintellectum, sequitur Subjectum malè aestimari è constructione Gram. Sed verum prius, E.

*Anteced. prob.* Matth. 6, 24. *Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Ubi subjectum, *Vos servi* subintelligitur.

### CONCLUSIO V.

*Sed denique omnium rectissime judicatur Subjectum & prædicatum ex ipso sensu Enunciationis.*

#### *Propugnatores.*

Sunt ii, qui dicunt Subjectum esse id, de quo aliquid enunciatur, & Prædicatum, quod de aliquo enunciatur. Nominatim Saur Log. 241. Hundeshagen Qq. Logg. P. 2. p. 25. seqq. Rudr. Log. p. 128. & alij plures.

B

*Oppugna-*



## Oppugnatores.

Sunt ii, quos hactenus allegavimus.

## Confirmatio.

Prob. (1) à remotione hactenus adductarum Sententiarum, h. m. Si Extrema Enunciationis neque judicantur ( $\alpha$ ) ex situ terminorum, neque ( $\beta$ ) ex articulo Græcorum, neque ( $\gamma$ ) ex ordine rerum, neque ( $\delta$ ) ex constructione Grammatica, sequitur æstimanda esse tandem ex ipso sensu Enunciationis. Sed verum est prius, E.

Maj. Conseq. patet, quia non memini hactenus ullam præter adductas sententias excogitatam esse.

Anteced. ex hactenus dictis abunde patet.

Prob. (2) Quia nulla datur Enunciatio, in qua res aliter sese habeat, E.

Min. prob. ex inductione omnium Exemplorum.

## Refutatio.

Excip. ad prob. Min. Quia dantur Enunciationes, in quibus prædicatum non est id, quod dicitur de aliquo, E.

Etenim  $\tau\omicron$  dici de aliquo ex mente Aristotelis est idem, quod affirmari: at verò dantur etiam Enunciationes Negativæ, (quicquid Carmuel in contrarium dicat,) in quibus prædicatum non affirmatur, sed negatur, adeoq; etiam non dicitur de aliquo.

Resp. Negando Minorem. Ad prob. Resp. Nos contrarium potius ostendere posse ex Aristotelis Commentatore Philopono, qui in lib. I. pr. Anal. C. I. §. 4. & 6 observat, quod  $\tau\omicron$  dici de aliquo, possit de affirmatione pariter & negatione accipi.

## CONTROVERSIA III.

*An una eademque Enunciatio, quæ vera est in una Disciplina, possit esse falsa in alia?*

## Status Controversiæ.

(1.) Gravitas Controversiæ hujus inde facile patet: Quoniam si minus rectè decidatur, vel dignitati Philosophiæ, vel sublimitati Theo-



Theologicae aliquid detrahitur. Vide B. Meisn. Phil. Sob. Sect. 4. p. m. 522.

[2.] De distinctione Veritatis, & acceptione genuina ejusdem egimus in *Sylloge I. Controv. III. Stat. Contr.* Hoc loco autem obiter observes, sermonem nobis esse de Veritate ejusdem Generis [ sive Logica ] non diversi. Sic enim bene una eademque Enunciatio potest esse in una discipl. vera, in altera falsa.

[3.] Præterea observes, Veritatem h. l. spectari potissimum respectu disciplinarum principalium, *Philosophia* nimirum & *Theologia*.

[4.] Dist. inter Philosophiam ratione *existentia* & *essentia* spectatam. Hoc modo sumitur, qualis in se est, vel de jure esse debet: Illo, qualis de facto esse solet. Q. de pr.

(5) Per unam eandemque Enunciationem intelligo non saltem identitatem vocum, sed & sensus ac significationis.

## CONCLUSIO.

*Non datur Enunciatio, quæ vera sit in Philosophia, & falsa in Theologia?*

### Propugnatores.

Scheubl. Log. P. 3. Cap. 3. p. m. 407. it. in *Metaph. Procem.* Cap. 4. p. 6. seq. Meisn. Phil. Sob. P. I. p. m. 521. seqq. Spengler. in *Exercitat. Met.* p. 126. seq. Gravverus de *simplici Veritate Theor. Transcend.* Scharff. in *Metaph. Exempl.* p. 66. seq.

### Oppugnatores.

Sunt plerique Calviniani, nominatim Kekerm. in *Præcogn. Phil.* lib. 1. Cap. penult. it. in *Append.* p. 181. Timpler. lib. 2. C. 8. Q. 7.

### Confirmatio.

*Prob. ab absurdo.* Quia aliàs sequeretur, DEUM per lumen fidei inclinare ad veritatem, per lumen naturæ ad falsitatem.



*Prob. 2.* Si objectum per diversitatem subjecti vel disciplinarum nihil mutatur, sequitur neque veritatem aut falsitatem unius eisdemque Enunciationis in diversis disciplinis mutari, Sed prius est, E.

*Conseq. Maj. prob.* Quia veritas & falsitas Enunciationum dependet ex objecto, ut quæ objecto est conformis, vera sit, quæ difformis, falsa.

*Anteced. prob.* Nam aliàs una eademque Enunciatio consentiret cum re, & non consentiret, resque simul esset & non esset: imo esset simul à Deo & Diabolo. Etenim vera Enunciatio asserit id, quod congruit cum re enunciata, & eat. est à Deo: Falsa contra asserit id, quod non congruit cum re enunciata, & sic est à Diabolo. Quid ergo mirum si absurda inde deducantur?

### *Refutatio.*

*Obj. communiter.* Quia dantur Propositiones, quarum una eademque in Theologia vera, in Philosophia falsa est; e. g. hæc: *N Virgo parit*, est vera in Philosophia, sed falsa in Theologia, exemplo Mariæ virginis, quæ virgo fuit ante partum, mansit in partu, & post partum.

*Resp. Assertum negando.* Ad prob. *Resp.* Exemplum adductum in Philosophia neque verum esse, neque falsum, sed plane ignorari; si enim nobis per scripturam non esset revelatum, nemo hominum illi assensum præberet: Neque tamen Theologia in dubium vocat Axiomata Philosophica secundum ordinem & cursum naturæ intellecta.

## CONTROVERSIA IV.

*An una eademque Enunciatio interdum & affirmans & negans pro diversa habitudine esse possit?*

### *Status Controversiæ.*

(1) *Affirmativa Enunciatio* dicitur, quæ dicit prædicatum inesse Subjecto; seu: quæ prædicatum cum Subjecto connectit; ut *Homo est animal*, *Homo sentit*.

(2) *Con-*



(2) Contra *Negativa* dicitur, quæ prædicatum integrum Sub-  
jecto non inesse dicit; Seu: quæ prædicatum à Subjecto divellit; ut  
*Homo non est lapis, Homo non volat.*

(3) Probè autem observandum cum Philosophis circa descri-  
ptionem Enunciationis Negativæ, *divelli prædicatum à Subjecto*,  
quoties copula principalis negatione afficitur. Unde relinquatur,  
Negativam esse Propositionem, (a) quando negatio Copulæ princi-  
pali aut verbo vicem copulæ subintellectæ, supplem̄ti, immediatè est  
præposita; ut *Homo non est lapis, Homo non volat.* (b) quando parti-  
cula negativa toti Enunciationi præfigitur; ut e.g. *Non O. homo est do-  
ctus, N. homo est Canis.*

(4) Observes qua *diversam habitudinem*, sensum esse Con-  
troversivæ, non quidem, quasi negans, qua talis, possit simul dici  
affirmans in *sensu composito*; verum quod negans in *sensu diviso* possit  
esse affirmans.

(5.) D. J. Enunciationem *Finitam & Infinitam*. Illa dicitur,  
quæ ex meris terminis finitis constat; ut *homo est animal*. Hæc, quæ  
unum vel plures infinitos habet; ut *Qu. Homo est non ambulans, Q.  
non homo est non ambulans.* Sermo in præsentis potissimum est de  
post.

(6.) Dist. inter affirmationem & negationem *absolutam & re-  
spectivam*. Illa ex verbis prout jacent facile intelligitur: Hæc in  
verbis infinitis æstimanda ex collatione cum aliis. Quær. de hoc.

## CONCLUSIO.

*Una eademque Enunciatio interdum & affir-  
mans & negans esse potest pro diversa ha-  
bitudine.*

### *Propugnatores.*

Arist. de Interpr. C. 10. Ebel. Disp. Elencht. ad Apolog. pro Syl-  
log. Infinito. Scharff. Inst. Log. C. 3. L. 2. Corn. Mar. in Comment.

B 3

Log.



Log. p. 208. & in Analyfi formæ. Grosius in Disp. 7. Quæst. 2. & 3. Spengl. Exerc. Logg. p. 354. seqq. Rudr. Log. p. 134. it. Log. Err. p. 55. Huc refer eos, qui in hoc Syllogismo: *Quic. non credunt damnantur; Judei non credunt, E. Judei damnantur* Minorem affirmantem dicunt esse, ut sunt Scharff. in Man. Log. p. 127. Horn. in Compend. Dialect. Lib. 2. C. 4. Reg. Lib. 3. Dispp. Logg. Probl. 4. & nobiscum facere videtur Danhavverus Sylloge 3. Can. Logg. p. 50. dum dicit, *Propositionem. Negativam esse, in qua ponitur negatio immediatè ante copulam, quamvis idem etiam oppugnet, uti mox videbis.*

### Oppugnatores.

Vives lib. 3. de causa corrupt. artis Ramisticae, Danhavverus Tract. de Syllog. Infin. & in Apolog, c; usd. Tract. Schal. in Qq. Logg. Huc pertinent, qui Enunciationes Infinitas cū Negativis confundunt, ut Caramuel in Hercule Log. & Scherz. in Phil. in Cer. p. 157.

### Confirmatio.

Prob. Nam in hoc Syllogismo e. g. *Quic. non credunt, damnantur, Judei non credunt, E. Judei damnantur.* Minor (*Judei non credunt*) extra Syllogismum spectata est negans, per Obj. 2, quia nempe prædicatum integrum à Subjecto divellitur. At vero eadem Enunciatio etiam est affirmativa, intra Syllogismum spectata. Quod ostendo ( $\alpha$ ) *ex respectu & ordine*, quem habet ad Subjectum Maj. Propositionis; quia hic Terminus *non credunt*, erat infinitus in Maj. E. m. manet talis in Minore, aliàs enim heret mutatio terminorum, & sic quatuor orirentur termini. ( $\beta$ ) *ex affirmativa Conclusionem*; Si enim Minor esset negans, Conclusio non posset esse affirmans, vi Canonis Log. *Conclusio imitari debet partem ignobiliorem.* ( $\gamma$ ) *ex resolutione*; Quando enim Major resolvitur in hanc: *Quic. sunt non credentes, damnantur*; & Minor. in hanc: *Judei sunt non credentes*, res est in aprico.

### Refutatio.

Obj. Dannhavver. in Tract. de Syllog. Inf. p. 8. *Omnis Propositio in qua copula negatur; est negativa, sed Propositio infinita infiniti prædicati omnis ea est, in qua copula negatur.* E.

Rx. lim. Maj. O. propositio, in qua copula negatur extra Syllogismum, illa est negativa. Sic negatur Minor per dicta in Confirm.

Dein-



Deinde Minor etiam neg. Nam sequeretur aliàs, nullam plane dari Enunciationem infinitam ex parte prædicati, quæ sit affirmativa, quod absurd.

## CONTROVERSIA V.

*An Particula MULTI in his Propositionibus:  
Multi sunt vocati, Multi sunt, pro quibus effu-  
sus est sanguis Christi, &c. univer-  
salitatis nota sit?*

### Status Controv.

(1) Enunciatio Universalis est, in qua prædicatum de subjecto communi, signo universalis affecto, enunciatur universaliter ut e. g. *O homo est animal, Nullus Homo est Canis.*

(2) Sed Enunciatio Particularis est, in qua prædicatum de subjecto communi, signo particulari affecto, enunciatur particulariter.

(3) Sunt verò Signa Universalia fere seqq. Omnis, Non omnis non, Quicumque, Quisquis, Non quidam non: Nullus, Omnis non, Non aliquis.

(4) Sed Signa Particularia: Quidam, Non nullus, Aliquis, Pleriq; & Pauci, Non omnis.

(5) Observ. juxta nonnullos τὸ MULTI per se & præcisè neq; universalitatis, neq; particularitatis notam esse: ratione materiae autem nunc universalitatem, nunc particularitatem admittere, v. g. in dictis Enunciationibus, notat universalitatem, uti mox probabitur. In his autem: *Multi sunt invitati* Luc. 14, 16. item, *Multi sunt occisi* (quando sc. ex quadraginta millibus remanserunt decem) particularitatis notam infert.

## CONCLUSIO

*τὸ MULTI in allegatis Enunciationibus nota  
universalitatis est, non particularitatis.*

*Propugnatores.*

Scheubl. P. 3. Log. de Propf. C. 6. Tit. 3. p. 446. Beza Resp. 2.  
ad



ad Colloq. Mompelgart. p. 216. Goclen. in Prodomo Lex. Philos. p. 428. qui observant τὸ MULTI in Philosophicis pro *omnibus* accipi interdum. Huc pertinent Rudr. Log. p. 145. it. Log. Err. p. 61. Dn. Albrichus Log. p. 152. Brochmand Syst. Theol. P. I. p. 243. item Tom. 2. p. 599. Spenglerus in Exercit. Logg. p. 380. Bechm. Log. p. 240. & alii plures.

### *Oppugnatores.*

Sunt imprimis Calviniani, qui ad negandam universalitatem gratiæ divinæ seriò contendunt, τὸ MULTI in allegatis Exemplis & similibus particularitatem inferre, nominatim Catharinus Lib. de Statu puerorum sine baptismo decidentium, ubi male colligit, ex Dan. XII. 2. aliquos dormientium futuros, qui nec ad vitam, nec ad opprobrium sint evigilaturi Vid. Scheubl. l. c.

### *Confirmatio.*


*Prob.* Quia τὸ MULTI non tantum in Philosophia, sed & in Script. S. interdum notat universalitatem, E. non semper infert particularitatem.

*Min. quæ prius prob.* Quia commune est Philosophorum axioma, Essentiam multis, h. e. omnibus ejusdem speciei esse communem: item Arist. dicit: Universale prædicari de multis vel pluribus, h. e. omnibus. Ut nihil nunc dicam de confessione nonnullorum Calvinianorum, quos supra allegavi. *Quæ posterius prob. (α)* ex Gen. 17. 5. Abraham Pater multarum gentium dicitur, i. e. omnium, interprete Apostolo Rom. 4. 17. *(β)* Dan. 12. 2. Multi qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, i. e. omnes, exponente Christo Joh. 5. 28.

### *Refutatio.*

*Obj. Q.* nativa indoles τὸ MULTI ex usu Autorum prophano- rum semper est, significare particularitatem. *Resp.* pete ex supra dictis.

Plura apponere angustia temporis prohibet. *Quare claudimus, & DEO decentes agimus gratias.*





Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515











B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

95

DEOC!

ERSIARUM  
ARUM

RATIONALI  
ALTERA

M  
m proponit

SIDE

O GREISSING,

il. Adjuncto

DENS

GIUS HORNIGIUS,  
Misnicus,

lectoraliſ,

M DCLXXIX.

rio Majori.

ERGÆ,

gr. Excudebat SIMON LIEBERHIRT.

